


po debitam mandans: dein tertio Junij à Senatu Argentinenſi quatuor peditum ſigna (quæ ſuæ urbis cuſtodix cauſa conſcripſerant) impetrat, eademque, inclinante jam die, adjunctis 60. equitibus & 17. tormentis bellicis Vrbe educit, iisq; arcem Episcopalem in monte Cõcordiæ (vulgò Rochersberg) ſitam oppugnat, quâ occupatâ ad Dachſteinium caſtrum munitiſſimum copias promouet, idque non majori negotio capit. Canonici Pontificij his perceptis, ne quid Diæceſis detrimenti caperet, ſibi vigilandum eſſe arbitrati, novæ electioni 9. Junij diem conſtituerunt, non obſtante, quod Cæſar, ſe patrum ſuum Ferdinandum Tirolis comitem, iſis Adminiſtorem miſſurum ſcripſerat. Initis igitur ſuffragiis unanimi conſenſu Illuſtriſſimum Principem Carolum Lotharingiæ Ducem: Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalem, Episcopum Merenſem eligunt; cujus electionis rationes Fran-



ciscus Baro in Kriechingen, Decanus, nomine capituli, longo programma te, Colonia & alibi impreſſo, reddidit. Lotharingicus autem Cardinalis dignitatem oblatam acceptans, caſtra & oppida ad Diæceſin ſuam pertinentia à Brandenburgicis expugnata reſciſcit: cum autem videret, Brandenburgicum cum ſuis in propoſito perſeverare, nec ab armis recedere velle, aliquot etiam cum equitum, tum peditum cohortes cogit: Tabernas, Molshemium, Benfeldium firmis præſidiis munit, crebrisque excuſſionibus Argentinenſium ditionem hoſtiliter invadit, omnia depopulatur, & ad moenia uſque Vrbiſe excurrit: die verò 27. Junij exercitum Kocherspergam ducit, eamque triduo ſine intermiſſione oppugnat. Arce vi expugnata præſidarii (uno, qui centurionem ſtrangulaverat, excepto) ſclopetorum iſtibus trucidantur: Arx flammis ſubjecta ita devaſtatur, ut nihil nunc, præter rudera quædam, ibi conſpiciatur. Captâ Kocherspergâ arce, Dachſteinium verſus exercitum Lotharingi moverunt, majoribusque tormentis moenia verberarunt. Illius cuſtodia Babenhovero Centurioni nobili erat demandata: qui metu plenus 4. Julij caſtrum rebus neceſſariis inſtructiſſimum ac firmiſſimum hoſti dedit. Quam obrem, in urbem reverſus, una cum Vicario ſuo cuſtodix aliquandiu mandatus, tandem dimiſſus fuit. Lotharingi interim Waſſlenhemium, Argentoratenum Vicum amoeniſſimum, cum Caſtello deditione capiunt, ipſam arcem ſubditorum bonis repletam ſpoliant, ac ædificiorum tertiam partem, vallem ſive montis tranſitum reſpicientem, amplioris proſpectus cauſâ incendunt, ſedemque ſuis excuſſionibus ac deprædationibus ibidem figunt. Poſt aliquot velitationes hinc inde commiſſas, tertio Calendarum Auguſti, tria millia Helvetio-